DEDICATIO OHLIGIANA

Vides ut alta stet nive candidum Soracte (HOR.carm.1,9,1)

Karl Heinz Ohlig

PROFESSOR CAROLUS HENRICUS OHLIG
1938-2024
Saravipontanus Theologus catholicus
Spiritus Rector Instituti Inârah

Scripserunt **Marcus Groß & Robertus M. Kerr**

Haec symbola edita est in

BIBLIOTHECA LEONIS LATINI
https://ephemerisnuntii.eu/bibliothecaLL.php
A.2026

DEDICATIO OHLIGIANA

Vides ut alta stet nive candidum Soracte (HOR.carm.1,9,1)

Scripserunt Marcus Groß & Robertus M. Kerr

Magno cum gaudio editores auctoresque volumen decimum seriei Inârah dedicant Professori Carolo Henrico OHLIG Spiritui Rectori Instituti, quo investigatur Historia Islami prioris atque Alcorani. Hoc eo magis nobis decere visum est, quod titulo voluminis primi omnium, cui redigendo iubilarius non iam præsederat, tamen nomen eius adderemus. Ratione enim multiplici Inârah tamquam proles spiritualis Caroli Henrici Ohlig apparet et dedicatio huius voluminis videtur convenire cum huius viri doctissimi visione scientificâ et admirabili facultate investigationes dispensandi.

Carolus Henricus Ohlig natus est Castellæ (*Kesselheim*) prope urbem Confluentium (i.e. *Koblenz*) die 15. m.Sept. a.1938. Abiturio superato iuvenis inter annos 1957 et 1963 Augustæ Treverorum, Æniponti, Monasterii Westphalorum, Monaci, Saravipontique studuit historiae et philosophiae et theologiae catholicae cognoscendis, postea munus quoddam gessit capellani in urbe Saraviae, quae theodiscê appellatur *Neunkirchen*. Deinde anno 1969 Carolus Henricus Ohlig Carolo Rahner theologo Universitatis Monasteriensis moderante ad gradum doctoris promotus est thesi suâ, quae inscribitur: *Woher nimmt die Bibel ihre Autorität? Zum Verhältnis von Schriftkanon, Kirche und Jesus (Dusseldorpi, 1970)*. Quæ thesis est prima symbola huius auctoris in lucem edita, quâ îdem primum patefecit, in quam regionem investigandi animus suus esset propensurus. Anno 1970 iuvenis aetatis suae professor Germaniæ natu minimus assignatus est cathedræ theologiæ catholicæ Universitatis Pædagogicæ Saraviensis. Ab anno 1978 usque ad annum 2006 docuit in Universitate Saraviensi Saraviponti in urbe professor Scientiae Religionum et Historiae Christianismi. Hôc spatio temporis bis electus est decanus Facultatis Philosophiae. Anno 1973 in matrimonium duxit mulierem nomine Brigittam. Deinceps multa publicavit scripta nonnumquam controversa, quae adhuc sunt lectu 18 digna, *e.g.: Blockiert das katholische Dogma die Einheit der Kirchen? (Dusseldorpi, a.1971); Die theologische Begründung des neutestamentlichen Kanons in der alten*

Kirche (Dusseldorpi, a.1972); Braucht die Kirche einen Papst? (Dusseldorpi, a.1973); Jesus Entwurf zum Menschsein: Überlegungen zu einer Fundamental-Christologie (Stutgardiæ, a.1984); Fundamental-christologie – Im Spannungsfeld zwischen Religion und Kultur (Monaci, a.1986); Ein Gott in drei Personen? Vom Vater Jesu zum "Mysterium" der Trinität (Moguntiaci, a.1999). Nonnullis horum operum tempore publicationis suscitatae sunt magnae controversiae, quibus cursus honorum professoris Ohlig erat insignis. Tales autem controversiæ certê viros mentis acumine praeditos potius comitantur quam istos, qui obsequenter omnia accepta comprobant quæ sibi inculcantur. At vir verê sagax, qualis est Professor Ohlig, scientiis litterisque imbutus didicit quæstiones idoneas interrogare atque responsiones indagare maximâ cum perseverantiâ atque methodologiâ diligentissimâ, deinde, quâ est subtilitate philologicâ, redit ad fontes facitque analysin idoneorum textuum fundamentalium quam profundissimam, atque devitat theorias secundum spiritum temporis excogitatas. Talem rerum scientificarum investigatorem iubilarius noster studiis suis doctis iterum iterumque insigniter se praestitit. Īdem vir litterarum quam peritus sit, clarê apparet non sôlum in eius operibus publicatis, sed etiam in acroasibus, quæ amari solebant a studiosis atque auditoribus generalibus. Multae allocutiones Ohligianae, quantum licuit, conversæ sunt in fundamenta librorum ac symbolarum. Spatio temporis quo docuit perlongo iubilarius noster multos habuit alumnos non sôlum e Germaniâ, sed etiam ex aliis Europae terris aliisque regionibus longinquis oriundos, quorum dissertationes si quis perlustraverit, clarê cognoscet, quantâ sit ingenii multiplicitate illorum doctoralis pater et praeceptor et promotor. Multi alumni Ohligiani animis commotis recordantur examina oblivione indelebilia, quibus îdem professor quaestiones ponebat ambiguitate suâ famosas, praesertim eas, quae spectabant ad hinduismum et buddhismum… sæpe vox huius professoris alumnis examinandis more biblico videbatur venire e columnâ fumi. Inter quæstiones 19 fundamentales, in quas tractandas iubilarius frequenter incumbebat, erat ea quae pertinet ad naturam ac originem Trinitatis. Etiam in hac quaestione perscrutandâ Ohlig demonstravit, quantum valeret ponere quaestiones idoneas, quia quo magis idoneae essent quaestiones positae,

eo meliores essent responsiones, ad quas adduceremur. Non oportere, ut aliqui investigator tantummodo dependeret a testimoniis traditis – nam alioquin saepius effici opiniones praeiudicatas. Etiam in hac re manifestatur peritia textuum fundamenta-lium Ohligiana, quâ nixus hic vir doctus vestigia secutus est et evolutionem notionum christianarum naturæ divinitatis atque Trinitatis et evitavit suppositiones anachronisticas necnon clarê distinxit inter theologiam et cultum civilem – ut ait Scaliger "Non aliunde dissidia in religione pendent, quam ab ignoratione grammaticæ."1 Etiamsi theologia christiana remansit provincia investigandi Ohligii praecipua, tamen eius animus etiam phaenomeno religionis generali valdê attrahebatur – ut hoc appareat, unum tantummodo exemplum afferamus opus Ohligianum, quod inscribitur Religion in der Geschichte der Menschheit (Tremoniæ, a.2002). Propter studia iubilarii, eiusque experientiam atque peritiam fontium, qui spectabant ad historiam ac evolutionem theologiæ christianæ, præsertim Sanctissimæ Trinitatis, sed et historiæ religionum, fortasse mirum non videbitur eum etiam in religione islamicâ versari tractandâ. Anno 1990 ad cathedram studiorum orientalium, cui in Almâ Matre Saravipontanâ solebat attribui summa auctoritas religionem islamicam resque arabicas perscrutandi, fama tulit theologum quendam in praelectionibus suis quæstiones ponere, quibus doctrinae de origine religionis islamicæ traditae funditus tollerentur. In luce historiæ religionum christologiæque haec doctrinarum sublatio non apparuit nova "adinventio" vel revolutio spiritualis in deserto arabico, sed potius reactio Levantinorum contra inculcationem novæ christologiæ chalcedoniensis. Iubilarius noster aliquando adnotavit se, postquam sustinuerit inquisitio-nem sacram atque multa tribunalia ecclesiastica, denique 1 Prima Scaligeriana. Nusquam antehac edita, Ultrajecti, apud Petrum Elizivirum, 1670, 59. 20 etiam accepisse pulchrum exemplum illius sententiae religiosae, quae appellaretur fatwa! Nihilominus îdem vir celebrandus anno 1999 praeter cathedram theologiæ catholicæ in Universitate Saraviensi condidit sedem operarum scientiae religionis (i.e. Arbeitsstelle für Religionswissenschaft). Ohlig in seminario recenter condito cum cetera tum praecipuê id sibi proposuit, ut persequeretur novas vias Alcoranum historiamque islami investigandi ("Neue Wege der Erforschung des Koran

und der Frühgeschichte des Islam.") Anno 2000 liber eius, qui inscribitur: Weltreligion Islam: eine Einführung, Tremoniæ publici iuris factus est – eodem anno quo alterum opus eminentissimum alterius investigatoris saravipontani editum est, id est Christophori Luxenbergi opus, cuius titulus est Die syroaramäische Lesart des Koran – Ein Beitrag zur Entschlüsselung der Koransprache (quod editum est Berolini et Tubingæ) - opus cuius editionem iubilarius noster, praesertim tempore decanatûs sui, collegarum suorum inquisitiones patientium adiutor et fautor indefatigabilis ac devotus diligentissimê fovebat. Ut hæ investigationes ad originem religionis islamicæ Alcoranique magis promoverentur, Professor Ohlig rude donatus die vicesimo tertio Maii a.2007 condendum curavit institutum investigatorium lucri expers – cui nomen est impositum arabicum Inârah (quod valet illuminismum). Munīrūn conditores erant Domina Puin Dominique Ohlig, Gross, Puin, Puin, Popp, Wagner. Anno sequenti primum illorum septem symposiorum factum est diebus decimo tertio decimoque sexto mensis Martii in oppido Otzenhausen Saraviensi. Longum est opera Professoris Ohlig ad studia islamica spectantia enumerare. Necesse est recordari philologos occidentales litteris islamicis interpretandis deditos, paucis tantum quadamtenus exceptis, usque ad exiens saeculum vicesimum praecepta alcorani muslimica intelligendi tralaticia servantes nequaquam adhibuisse europaeas methodos historico-criticas. Iubilarius noster semper palam confitens se neque arabistam neque peritum esse studiorum islamicorum ita accedebat studia 21 religionis islamicæ et Alcorani ut solent philologi accedere quamcumque aliam materiam investigatione philologicâ dignam. Philologia in occidente per longum spatium temporis tradita neque umquam, ne Medio Ævo quidem, perdita (cfr Postillæ Nicolai a Lyra), scientia est, quæ sensum textuum explorat, præsertim his tribus rationibus: I) analysi textuum quam diligentissimâ II) analysi linguisticâ III) contextualisatione historicâ. Tertia autem ratio certissimê facta est professoris Ohligii provincia praecipua. Cum autem îdem semper esset cupidus res scientificas atque historicas cognoscendi etiam extra provinciam suam propriam positas, id ei contigit, ut attraheret complures scholares a quibus exaugeretur thesaurus eruditionis suae. Considerantibus autem nobis historiam alcorani investigandi recentiorem apparet res

inexpectata: perscrutatio critica atque systematica Alcorani ac originum religionis islamicæ, præsertim examen fontium criticum, quod investigatores instituti Inârah sibi proposuerunt quam diligentissimê excolendum, non incohatum est nisi vicesimo demum sæculo exeunte. Nunc autem recordemur philologiam classicam peperisse philologiam biblicam sæculo sexto decimo, eamque emancipavisse se ipsam a theologiâ sæculo septimo decimo ineunte. Hôc tempore philologi scripserunt opera, quibus fieri potuit, ut criticê explicarentur sacri textûs iudaeicochristiani – compositae sunt exempli gratiâ editio critica amborum Testamentorum, Novi et Veteris, et Bibliæ polyglottae et Lexica verborum nominumque biblicorum subtilissima. Iam Scaliger dubitabat de auctoritate originali vocalisationis hebraicæ signis diacriticis massoreticis indicatae – eum secutus est Capellus (cui contradixit Buxtorf). Si haec respicimus, miramur, quod islamologis adhuc persuasissimum est signa diacritica arabica in Alcorano esse originalia! Illo autem tempore plures theologi quam umquam antea comprehenderunt textûs biblicos obscurari numerosis difficultatibus textualibus et linguisticis et historicis – et easdem quo saepius ipsi solvere conarentur, quadam cum ironiâ eo graviores fieri. 22 Etiamsi non fuit propositum philologiæ biblicæ auctoritatem Scripturæ subruere, nihilominus eadem hoc ipsum fecit liberans christianitatem a servili adhæsione interpretationum ac suppositionum, quae effectae erant opinionibus praeiudicatis. Philologiâ biblicâ effectum est, ut lectores cum fidelibus recogitarent, quae ratio intercederet inter se Sacramque Scripturam, sed non necessariô diminuta est fides, quâ illi credebant originem ipsius revelationis esse divinam. Theologia critica tamen interpretationem dogmaticam affectabat. Philologi autem solebant res colligere atque inter se comparare ad regularitates investigandas et hypotheses inveniendas, quibus anomalias explicarent atque submitterent easdem scrutiniis æquorum in spiritu humilitatis epistemicæ. Illo enim tempore auctoritas mosaica pentateuchi addubitari coepit – cfr tres scriptores Hobbes – Spinoza – La Peyère. Cito clarê apparuit axioma Sancti Hieronymi, quod est "Tot enim sunt exemplaria quot codices"2 , non sôlum quadrare ad textum Vulgatæ sed etiam textum Bibliæ – instabilitas textualis erat enim male censa eo quod conduxit ad vulnerabilitatem theologicam. Etiamsi pro textu Vulgatæ statutum erat,

ut Editio authentica fieret in sessione quartâ Concilii Tridentini die 8. m. Aprilis a.1546, omnes partes christianitatis pergebant elaborare versionem criticam textuum ad originalem sensum inveniendum. E contrario videmus islamologiam scientificam semper morari inertissimam… lexicon historico-etymologicum linguæ arabicæ adhuc deesse, item et criticam versionem Alcorani … et plerasque editiones islamicae litteraturae tralaticiae publicari minus diligenter elaboratas quam editiones textuum Patrum ecclesiasticorum, quae factae sint tempore Renovationis. Revertamur autem ad iubilarium nostrum: Professor Ohlig investigatione suâ propriâ eo quod condidit institutum Inârah – ut ita dicam – ad studia alcoranica fovenda quadamtenus effecit tamquam catalysta. Itaque îdem vir doctus investigationem scientificam religionis islamicae atque textuum eiusdem sacrorum sic fovit atque promovit ut investigationem qualiscumque materiae alterîus. Quod talis investigatio sæpe nuncupatur "islamophobica", 2 Praefatio in Evangelia, 526 C. 23 revelat potius spiritum temporis quam qualitatem investigationis Ohligianae. Ohlig operibus praecursorum suorum nixus demonstravit doctrinam originis islami traditam derivatam esse e fontibus inter se contradicentibus, quibus referretur de rebus circa duo vel tria sæculis antea factis – unde suspicio hermeneutica oritur. Ea quae de vitâ Mahometi narrantur, revelatio cum codificatione Alcorani, Iudæi qui creduntur cum christianis habitare Hidiazi tempore serœ antiquitatis, qui caliphi rectê sunt ducti, Umaiadi ut musulmani – istæc omnia sicut et auctoritas mosaica fabulosa esse concludendum est. Professori Ohlig demonstranti istas fabulas esse fictas et commenticias et anachronisticas etiam id contigit, ut originem religionis islamicae ac Alcorani imponeret contextui historico controversiarum theologico-christologicarum illius aetatis. Denique nobis restat, Professor Carole Henrice Ohlig, praeceptor noster et conditor instituti Inârah meritissime, ut intimo ex corde gratias tibi agamus pro laboribus scientificis a te exanclatis, pro auxiliis tuis liberaliter concessis, pro adhortationibus necnon pro amicitiâ tuâ per tot annos nobis benignê oblatis. **Bene vale, vir doctissime atque carissime, ad multos annos feliciter!**

cur non sub alta vel platano vel hac
pinu iacentes sic temere et rosa
canos odorati capillos,
dum licet, Assyriaque nardo
potamus uncti?

HORATIUS, Carmen 2,11,13-17

HAEC **DEDICATIO OHLIGIANA** A **MARCO GROSS** ET **ROBERTO M. KERR** LATINĒ SCRIPTA INVENITUR IN LIBRO NUPER EDITO QUI SEQUITUR:

Markus Groß/ Robert M. Kerr (Hg.): **Die Entstehung einer Weltreligion VI.** Vom umayyadischen Christentum zum abbasidischen Islam. Studia Islamica Philologica Necnon Theologica Carolo-Henrico Ohlig Dicata. INĀRAH. Schriften zur frühen Islamgeschichte und zum Koran. Band 10. © 2021 Hans Schiler & Tim Mücke GbR. Berlin und Tübingen. Erstausgabe. 1.Auflage 2021. p.7-11: Vides ut alta stet nive candidum Soracte. P.64-129 invenitur Latina praefatio editionis Alcorani Lipsiensis a Gustavo Flügel a.1834 scripta, a Valtero Burnikel in theodiscum sermonem conversa, a Gerhardo Rudigero Puin explicata



Nachruf

UNIVERSITÄT DES SAARLANDES

Die Fachrichtung Katholische Theologie, die Philosophische Fakultät und die Universität des Saarlandes trauern um

Herrn Univ.-Professor Dr.

Karl-Heinz Ohlig

* 15. September 1938 † 14. Januar 2024

Karl-Heinz Ohlig, geboren in Koblenz, hatte an der Theologischen Fakultät Trier und an der Universität Innsbruck studiert, wo er in Karl Rahner seinen prägenden akademischen Lehrer fand. 1966 wurde er Wissenschaftlicher Assistent für Katholische Theologie an der Universität des Saarlandes, setzte zugleich seine Studien an den Universitäten München und Münster fort und wurde 1969 in Münster unter der Ägide Karl Rahners mit einer Untersuchung „Zur theologischen Begründung des neutestamentlichen Kanons" zum Dr. theol. promoviert. 1970 folgte die Berufung zum Professor an der Pädagogischen Hochschule des Saarlandes und 1978 der Wechsel auf eine Professur für Religionswissenschaft und Geschichte des Christentums am Institut für Katholische Theologie der Universität des Saarlandes. Von 1996 bis 1998 sowie von 2004 bis 2006 war er Dekan der Philosophischen Fakultät. 1999 gehörte er zu den Initiatoren des interdisziplinären Studiengangs „Historisch orientierte Kulturwissenschaften".

Neben Forschungen zur Theologiegeschichte (u. a. zur Christologie und Trinitätslehre) widmete er sich der historisch-kritischen Islamforschung. Das wissenschaftliche Netzwerk bildete dafür der von ihm 2007 in Saarbrücken gegründete und bis 2023 geleitete Verein „Inârah – Institut zur Erforschung der frühen Islamgeschichte und des Koran". Besonders am Herzen lag ihm die 1968 von ihm mitbegründete theologische, an Kirchenreform orientierte Zeitschrift „Imprimatur: Nachrichten und kritische Meinungen aus der Katholischen Kirche", die unter seiner Leitung (2014 bis 2022) eine breite Leserschaft aus dem ganzen deutschsprachigen Raum ansprach.

Karl-Heinz Ohlig hat das Institut für Katholische Theologie von Anbeginn an geprägt und zum Profil der Saarbrücker Theologie maßgeblich beigetragen. Die Fachrichtung Katholische Theologie, die Philosophische Fakultät und die Universität des Saarlandes gedenken seiner mit großer Dankbarkeit.

Der Universitätspräsident
Univ.-Prof. Dr. Manfred Schmitt

Die Dekanin
der Philosophischen Fakultät
Univ.-Prof. Dr. Stefanie Haberzettl

Das Kollegium der Fachrichtung Katholische Theologie



PROFESSOR CAROLUS HENRICUS OHLIG
1938-2024
Saravipontanus Theologus catholicus
Spiritus Rector Instituti Inârah